



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono


**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Cap. 7. De Eleemosyna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

lentiora sunt corporalibus. Quia d-num spirituale temporali praeminet, & spiritus corpori praestat. In aliquo tamen casu corporalis elemosyna spirituali praefertur. Quia ex fame moriens magis debet pasci, quam doceri. D.Tho. 2.2.q.16.a.2. & Doctores communiter.

46 *In praecepto non sunt, nisi in extrema, vel gravissima necessitate.* Misericordiae opera haec in praecepto non sunt, nisi in extrema, vel gravissima necessitate. Vnde lethaliter delinquit qui in extrema, vel gravi admodum necessitate proximi, misericordiae opera in illum non exerceat. Extra huiusmodi vero necessitatem talia opera omit- tens, lethaliter non delinquit. Navar. sum. c. 24. n. 9. D.Th. 2.2.q.26.a.5. Caiet. ibi.



CAPVT VII.

De Eleemosyna.

47 *Quid sit eleemosyna.* Eleemosyna est opus, quo aliquid ex compassione propter Deum indigenti datur. Vnde est actus misericordiae corporalis à Charitate imperatus, si ob Dei amorem fiat: ut aequae aeternae merito- rius. Omnes sic.

48 *Est praeceptum de eleemosyna faciendum.* Est quidem in praecepto, tenemurque sub mortali aliquando per eleemosynam proximo subvenire: imo ad hanc obligamur non solum praecepto divino, verum etiam naturali. Quia ratio naturalis dicit, ut quod nobis volumus, alteri faciamus. Et Mat. 25 homines damnandi dicuntur ob eleemosynae omissionem, at nullus ob consilia omissa damnatur. D.Th. 2.2.q.31. art. 5. Sylui. ibi. Reginald. l. 4. n. 244. Valen. 10. 3. d. 3. q. 9. pun. 4.

49 *Qua sit necessitas extrema, vel gra- uis, ac com- munis.* Ut autem huiusmodi obligationem expo- nam, praemitto, necessitatem proximi, vel esse extremam, quando scilicet, aliquis est in probabili mortis periculo, siue spiritualis, siue corporalis; vel esse grauem, ut est illa, qua afficiuntur, qui non habent necessaria ad suum suorumque statum, ac conditionem; vel esse com- munem, ut est illa, qua passim occurrit in pau- peribus ostiatis mendicantibus, & qui in Xe- nodochio pietatis causa aluntur. Porro bona, ex quibus gerenda est eleemosyna, vel sunt superflua vitae, ac naturae propriae, sed non statui: aut sunt superflua non solum vitae, sed etiam statui. Necessaria vitae dicuntur illa, quae ad conseruatam vitam, & naturam requiruntur: consequenter vero superflua dicuntur ea, sine quibus vita transigi potest. Necessaria statui sunt illa, sine quibus conditio propriae personae decenter nequit conseruari: consequenter au- tem superuacanea statui erunt illa, sine quibus decens conditio conseruari potest. Sub neces- sariis fieri vitae, vel status veniunt etiam neces- sitates parentum, filiorum, uxoris, ancillae, serui & similes. Navar. sum. c. 24. n. 6. Bonac. de Chari. d. 3. q. 4. pun. 6. n. 4. & 5. Filliuc. lr. 28. n. 63. Regi- nald. l. 4. n. 249.

50 *Tempore necessitatis extrema, vel quae eleemosyna proximo est impertienda.* Igitur tempore necessitatis extremae, vel quasi proximi largienda est eleemosyna de su- peruacaneis vitae, etiam statui necessariis. Quia ordo Charitatis postulat, ut vita proximi decen- ti etiam nostro statui praefertur. Deinde tene- mur, eleemosynam impertire ex necessariis ad vitam, & status decentiam in necessitate ex-

trema proximi, ex cuius vita Reipublicae salus notabiliter pendet. Quia ordine Charitatis sa- lus totius preferenda est partis salutis: Vnde pro Principe, ac patria vita est exponenda. Ter- tio ex necessariis secundum quid ad status de- centiam, seu ad vitae conseruationem, non te- nemur agere eleemosynam extra necessitatem extremam, aut grauem. Quia ex praecepto non obligatur homo rerum suarum incommodum pati, & restringere ea, quae ad vitae conserua- tionem, & status decentiam sunt necessaria, ut communibus necessitatibus succurrat. Azorius tom. 2. l. 1. c. 7. q. 1. Tolet. l. 8. c. 3. 4. Soto lib. 5. de iust. q. 1. ar. 7. Valen. tom. 1. d. 3. q. 9. pun. 4. Fil- liucius tract. 28. num. 64. Diana part. 5. tract. 8. resolut. 7.

Diuites, qui superflua statui habent, non te- nentur pauperes inquirere, sed sufficit, ut para- to sint animo, ad eorum necessitates subleuan- das, cum occurrerint. Episcopi autem, qui pa- tres inopum nuncupantur, tenentur ex officio necessitatibus occurrere, & consequenter pau- peres inquirere, ut ipsorum subleuent indigen- tiam. Azorius tom. 2. l. 1. c. 8. q. 3. Malder. 2. 2. q. 3. 2. a. 6. d. 2. Filliuc. tract. 28. num. 77. Diana part. 2. tract. 2. resolut. 28. & part. 5. tract. 8. re- solut. 3.

Qui extrema necessitate laboranti non in eleemosynam, & gratis, sed titulo contradius metui, vel alterius non satisfacit. Quia prae- ceptum obligat ad actum virtutis eleemosynae, non vero ad alium actum. At si non sit extre- ma simpliciter necessitas, quia scilicet, quamuis egens actu non habeat, habet tamen virtute, ut si egeat pane, sed habeat nummos: vel pau- per sit hic, at diues in patria: vel polleat viri- bus, & arte, ad facile lucrandum plusquam ipsi necesse sit: tunc satis esse mutuo dare. Reginal- dus lib. 4. num. 260. Valentia tom. 3. d. 3. quaest. 9. pun. 4. Azorius tom. 2. l. 1. c. 9. q. 1. Sotus l. 4. de iust. q. 7. ar. 1. ad 4. Sylui. 2. 2. quaest. 32. art. 1. 6. quaest. 5.

Debitor extreme indigens, per se loquendo non tenetur restituere rem acceptam, seu soluere debitum creditori simili necessitate labo- ranti, siue rem acceperit medio contractu, siue non. Imo in tali casu, vxor, anus, parentes, filij possunt creditori praefertur. Quia maius est de- bitum naturale, quo illis debetur, quam debi- tum morale, quo erga creditorem tenemur. Temperanda tamen haec sententia est, modo debita non acceperit iniuste, dum verus domi- nus eadem necessitate laborabat. Tunc enim adhuc existentem rem tenetur domino restituere eandem necessitatem patienti. Secus dixe- rim de illo, qui acceperit ante necessitatem, & termino constituto non soluit. Toletus lib. 8. c. 39. Reginald. l. 4. n. 316. Sotus lib. 4. de iust. q. 7. artic. 4.

Qui in extrema constitutus necessitate ali- quid acceperit, illudque in eadem necessitate con- sumpsit, non tenetur transacta necessitate re-stituere. Quia necessitas extrema facit omnia communia. Qui vero ante necessitatem extre- mam iniuste, aut etiam licite medio aliquo co- tractu acceperit, restituere tenetur. Quia contra- xit obligationem restituendi, quae obligatio ob superuenientem necessitatem extincta non fuit, sed solummodo suspensa. Azorius tom. 2. lib. 2. cap. 7. Syluester verb. Furum. q. 5. Bonac. tenetur.

Secl. I. De Charitate, Recept Sent. 125

de Charit. d. 3. q. 1. 4. punct. 6. num. 16. Lorca 2. 2. d. 38. n. 4.

55 Qui eleemosynam non impertit, cum ex officio tenetur, verbi gratia, quod sit Pastor, Princeps, vel dominus illius, qui necessitate laborat: vel ille, cui à Republica cura pauperum est demandata, obligatur ad restitutionem. Quia tales tenentur etiam ex iustitia ratione officij, ut tenetur.

Qui vero eleemosynam non largitur cum tenetur solum ex Charitate, & misericordia, ad restitutionem non obligatur. Quia Charitas violata ad restitutionem non obligat, sed tantum ad culpam: eleemosyna autem tantummodo ex Charitate debetur, Nauar. summ. cap. 4. num. 7.

56 Qui rerum suarum dominium, plenamque administrationem habent possunt eleemosynam largiri. Vnde filiifamilias de rebus, quarum habent dominium, vel vsum fructum, ut de peculio castrensi, vel quasi, possunt eleemosynam impendere: non autem de profectio, cuius proprietates, & vsum fructus pertinet ad patrem, nec de aduentitio, cuius vsum fructus ad patrem, dum vivit, spectat. De bonis vero patris possit eleemosynam facere, si ipsius habeat consensum, vel probabiliter presumat, & maxime quando eleemosynae tenues sunt, vel quando ipsi filij peregrinantur, vel in Scholis resident à patre remoti. Vel quando accipiunt aliquam certam pecuniam summam pro sustentatione, si restringant expensas, vel in quod superest egenis erogare. Tolet. lib. 8. cap. 30. S. 2. verb. Eleemosyna, num. 13. Nauar. summ. cap. 7. §. 1. 1. Potest & Tutor, & Curator, qui pupilli bona administrat Reginaldus libro quarto numero 270.

57 Famuli non possunt de rebus dominorum eleemosynam agere extra casus communes: ut si sit extrema necessitas, si detur quid modicum & raro, si adit domini consensus saltem interpretatus, vel rati habitio probabiliter speretur, vel si de certa sibi portione assignata ad vitium detraheret aliquid per abstinentiam, & hoc in domini praedictum non cederet. D. Th. 2. 2. q. 3. 2. a. 8. ad 4. Sylvest. v. Eleemosyna, q. 5. §. 3. Filliuc. tr. 28. n. 93. Tolet. lib. 8. c. 30. n. 3. S. 2. v. Eleemosyna, n. 11.

58 Vxor potest eleemosynam largiri de bonis communibus, quorum administratio ad vitium pertinet, irrationabiliter inuitus esset, quando illa eleemosynas ageret iuxta aliarum suae conditionis consuetudinem. Quod si vir etiam has veteret, censetur tantum excessum prohibere. Si tamen exinde rixae timerentur, vxori consuleretur, ut ab huiusmodi pia actione abstinere, nisi extrema proximi vrgeret necessitas. Nauar. summ. cap. 17. num. 155.

59 Superiores Regulatum possunt, & debent eleemosynas largiri de Monasterij superfluis, & de non superfluis, licet competentibus ad Conuentus statum, prudentis arbitrio. Molin. d. 276. Lessi. l. 2. c. 18. dub. 11. n. 83. Bonac. de contron. d. 3. q. 1. 2. punct. 1. num. 7. Filliucius tract. 34. numer. 50.

60 Inferiores Monasterij Officiales, ut Procurator, Cellarius, & similes possunt eleemosynas impertire competentes iuxta regulam, & consuetudinem, vel iuxta Superioris voluntatem rationabiliter praesumptam. Religiosi vero subditi in Monasterio viuentes non possunt Escob. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.

nisi ex Praelati consensu expresso, vel tacito. Qui autem studiorum, vel negotiorum causa extra Monasteria commorantur possunt eleemosynas largiri iuxta vsum recepti quantitatem. Nauar. comment. 2. de Regular. n. 9. Molin. d. 276. Sylvest. verb. Religio. 6. quaest. 7. d. 2. Lessius lib. 2. cap. 18. dubio 11. numero 85.

Gerenda est eleemosyna de bonis propriis. Isa. 58. Frange esurienti panem tuum. Quia per eleemosynam dominium transfertur: hoc autem fieri non potest nisi à domino rei, vel eius auctoritate. Nam ex consensu expresso, vel rationabiliter praesumpto potest moderata eleemosyna fieri, maxime ab illo, qui habet aliquam bonorum administrationem. Vnde filij de bonis paternis, vxor de bonis viri, seruus de bonis heri, & Religiosus de Monasterij bonis per consensum rationabiliter praesumptum aliquam possunt eleemosynam facere D. Thom. 2. 2. q. 3. 2. a. 7. ad 3. Valentia, Sylui. Malder. ibid. Filliucius tract. 28. num. 86. Medina quaest. 5. de eleemosyn. Reginald. lib. 4. num. 286. Azor. 10. 2. lib. 12. cap. 14.

Ex bonis communibus quae particulariter possidentur, id est, quorum certae portiones distribuendae sunt singulis, non potest fieri eleemosyna nisi ex consensu expresso, vel tacito, seu rationabiliter praesumpto singulorum de communitate, quorum interest. Quia alioquin omnibus fieret iniuria, cum quilibet habeat certum, ac determinatum ius ad portionem aliquam cuiuscumque partis bonorum, quae in communi conferri debent. Medina Cod. de eleemosyn. q. 4. Bonacin. de Charit. d. 3. q. 4. punct. 6. numero 21.

Potro ex bonis communibus, quae collegialiter possidentur, id est, quae in singulos non sunt distribuendae, nisi ad nutum communitatis, vel eius, qui illius curam gerit: non possunt fieri eleemosynae sine singulorum consensu. Sufficit autem Superioris, vel maioris partis Capituli consensus. Quia ad bonam administrationem huiusmodi bonorum pertinet, ut aliquid in eleemosynas pro loco, ac tempore distribuatur. Poterit ergo hoc agere vel communitas, id est maior eius pars: vel is, qui communitatis vices gerit. Reginald. l. 4. n. 385. Filliucius tr. 28. n. 88. ex Ca. Cum in cunctis, de his quae sunt.

Qui non habet, vnde valeat ex propriis bonis necessitatem extremam pauperis subleuare potest, ad id aliena capere, quoties pauper ipse licite poterat. Quia tunc dominus non censetur rationabiliter inuitus. Vnde qui sic accipit, ad restitutionem non tenetur, postquam ad pinguiorem fortunam aduenit. Quia sicut pauper accipiendo non teneretur, ita nec tenetur, qui accipit, ut pauperi traderet, modo medio contractu aliquo non acceperit. S. 2. v. Eleemosyna, n. 5.

Potest fieri eleemosyna de bonis turpiter acquisitis, quoties turpido est ob circumstantiam accidentalem actionis, ut ex meretricio, vel homicidio patrato, vel sententia iniusta prolata. Quia talium rerum acquiritur iuste dominium, etiam si actio, per quam acquiritur mala sit. Cauendum tamen est scandalum. At de turpiter acquisitis cum onere restituendi, ut in rapina, furto, vltura, inuentione, &c.

61 Danda est eleemosyna de bonis propriis.

62 Quid de bonis communibus, quae particulariter possidentur.

63 Quid de bonis communibus, quae possidentur collegialiter.

64 Si non habet, quo possit extreme indigenti succurrere, potest ad id aliena capere.

65 Quomodo possit eleemosyna de bonis turpiter acquisitis fieri.

OBAR
Mor.
VI. VII.
IV

non potest fieri elemosyna, nisi domini diligenter quaesiti non compareant. Quia elemosyna cum detrimento alterius fieri non debet. Quod si domini ignorentur, vel singuli tam leuiter damnificati, vt licet summa vniuersa sit notabilis, respectu tamen singulorum nullius, vel exigui sit momenti, potest, imo debet restitui pauperibus, quibus eiusmodi bona debentur, si non iure naturali, saltem positivo, & consuetudinario. Ex bonis vero acquisitis cum onere restituendi, sed non ei, qui amisit, nam per legem priuatur dominio rei suae, potest, ac debet fieri elemosyna Ecclesiae, vel pauperibus. Patet in acquisitis per simoniam, per ludum vetitum, per subuersionem iudicij, &c. D. Thom. 2. 2. q. 3. 2. a. 7. Azor. tom. 2. l. 1. c. 12. q. 6. Tolet. l. 8. c. 32. Filliuc. tr. 28. n. 91. & 92. Laym. l. 2. tr. 3. c. 6. n. 7. Medina de Eleem. q. 5. Arag. 2. 2. q. 3. 2. a. 7. Caiet. Malder. ibid. Regina. l. 4. n. 287.

66 *Quomodo ex bonis fisco ob aliquod crimine additis.*
Ille autem, cuius bona sunt ipso facto ob crimen aliquod fisco addita, potest extra necessitatem proximi extremam illa pauperibus erogare, modo id in fisci fraudem non agat, sed quantum fert pauperis subleuandi necessitas. Quia non est priuatus absolute bonorum suorum dominio, nec tenetur ea fisco ante sententiam iudicis restituere. Sanch. l. 2. Dec. c. 22. n. 3. Valq. 1. 2. d. 170. c. 3. Mol. tom. 1. d. 95.

67 *Ordinem in elemosyna gerenda expono.*
Ordinem seruandum in elemosyna gerenda expono. In genere maiori necessitati succurrendum, potius quam minus graui, ceteris paribus. In specie vero coniunctiores ceteris paribus praeferrendi sunt minus coniunctis. Meliores minus bonis. Vtiliores Reipublicae, minus vtilibus. Elemosyna denique facienda est indigentibus, siue iusti sint, siue iniusti: siue infideles, siue fideles: siue amici, siue inimici. Coniunctiores tamen ex his praeferrendi sunt sanctioribus. Quia in bono Elemosynae magis diligendum est coniunctior quam sanctior. D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 9. Sylui. ibid. Valent. tom. 3. d. 3. q. 9. pun. 4. Reginald. l. 4. num. 301. & 304. Tolet. l. 8. c. 39. Azor. tom. 2. l. 1. c. 13.

CAPVT VIII.

De Correptione fraterna.

68 *Quid Correptio fraterna.*
Correptio fraterna est *Spiritualis elemosyna*, qua quis à proximo miseriam peccati depellere misericorditer conatur. Dicitur *Fraterna*, vt à correptione iuridica, quae fit per denunciationem iudicalem, aut accusationem, distinguatur. Fraterna enim correptio spectat bonum delinquentis, vt à malo spirituali liberetur, ac propterea est actus charitatis, aut misericordiae. At vero correptio iuridica spectat bonum aliorum, qui per peccatum vnius laeduntur, aut scandalizantur: vnde est actus iustitiae vindictivae, & peruenit aliquando vsque ad delinquentis punitionem. D. Th. 2. 2. q. 33. a. 1. Clauis Reg. l. 11. cap. 4. n. 2. Valent. 2. 2. d. 3. q. 10. pun. 1. Filliuc. tr. 28. n. 112. Laym. l. 2. tr. 3. c. 7. Calpens. tr. 17. d. 6. sect. 1.

69 *Est in praepro ad lethale obligante.* Mat.

18. 1. Thessalon. 5. Gala. 6. Si praecipuus fuerit. Est in proximo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, cepit ad le. huiusmodi instruit in spiritu lenitatis, & infra, thale obli. Sic adimplebitis legem Christi. Quia lege Charitatis tenemur proximo velle, ac procurare bonum, nolle malum, & illud auertere, vbi necessitas occurrerit. Vnde patet, hoc praecceptum esse naturale. Quia de elemosyna corporali extat praecceptum pro tempore grauitur obligans: ergo multo strictius de elemosyna spirituali. Tenemur etiam ad hanc correptionem praeccepto diuino. Quia Dominus Luc. 10. praecipit: Si peccauerit in te frater tuus, &c. Denique etiam humano. Quia in iure Canonico habetur Cap. Prouidendum. Cap. Consentire. dist. 83. Cap. Facienti. dist. 86. c. Tam Sacerdotes, 24. q. 3. D. Th. 2. 2. q. 33. a. 1. Tanner. 2. 2. d. 2. q. 5. dub. 4. n. 73. Malder. ibi. a. 2. dub. 1. Diana p. 7. tr. 3. ref. 3. Laym. l. 2. tr. 3. c. 7. n. 2. Bonac. tom. 2. d. 3. q. 4. pun. 7. n. 1. Petr. Ledes. tom. 2. sum. tr. 4. cap. 4. concl. 2. & 3.

Ligantur correptionis fraternae praeccepto non solum Christiani, verum etiam infideles, & peccant lethaliter eam omittendo, nisi inculpabilis ignorantia, vel inaduertentia excuset. Quia praeccepto iuris naturae tenentur. Porro speciatim obligantur Praelati, quibus aliorum commissa est cura. Quia ipsis specialis obligatio ex officio incumbit proximum corrumpere. Vnde tenentur, subditorum peccata inquirere, ad corripiendum. Quomodo autem instituentia sit haec inquisitio, petendum est ex fine, quem Praelatus siue vt pater, siue vt Iudex, praec oculis habere debet: nam media huius finis sunt accommodanda: & caute admodum, ac prudenter est procedendum, ne nimia suspicio precipitem, & exolum Praelatum reddat, vel ne inorta multiplicationem patiat delictorum. Filliuc. tr. 28. n. 120. & 121. Reginald. l. 4. n. 336. Laym. l. 2. tr. 3. c. 7. n. 3. Lorca 2. 2. q. 32. a. 6. d. 45. sect. 3. m. 1.

Non licet subditis inquirere fratrum peccata, vt illos fraternae corripiant. Quia talis inquisitio vitiosa, ac reprehensibilis est, eo quod scandala generet, & odiis, ac dissensionibus occasionem exhibeat, homines enim moleste ferunt, actiones suas ab aliis scrutari, cum aduersetur bonae estimationi, quam de se habent omnes cupiunt. Petr. Ledes. tom. 2. sum. tr. 4. c. 4. concl. 1. Diana p. 3. tr. 2. ref. 4. Reginald. l. 4. num. 336.

Materia huius praeccepti est omne, & solum peccatum, quod proximo notabile in spiritualibus damnum infert. Quia sicut Charitas vult proximo bonum tum spirituale tum corporale: cepit et, ita etiam inclinatur ad auerendum à proximo vtriusque generis malum; & si hoc malum in suo genere sit notabile, grauis oriatur obligatio: si leue, obligatio erit leuis, aut nulla. Vnde cum per quodlibet lethale periculum salus proximi periculo exponatur, ideo quodlibet peccatum mortale est necessaria correptionis materia; peccatum enim mortale est grauis miseria, notabile proximo inferens nocuumtum: siue illud peccatum sit occultum, siue publicum, siue palam toleretur à Magistratu, siue non toleretur: siue sit in Deum, siue in proximum, siue contra te commissum, dummodo tale peccatum aliqua ratione pendeat in futurum. Quia si non sit recidendi periculum, eo quod peccator emendatus iam sit, cessat